

- rato: Secus, si Electus libere resignavit, Reiffenstuel loc. cit. num. 337. & alii. In casu autem, quo talis simoniaca electio, seu collatio reprobata, seu cassata fuerit per sententiam, non potest Episcopus dispensare, ut talis beneficium illa vice retinere, vel de novo acquirere possit; sed debet tale prius alteri conferri, & postea si iterum vacare contingerit, poterit rursus conferre tali simoniam ab alio commissam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta simonia purgabitur per intermedium personam, ut notat Glossa communiter recepta in cit. cap. Si alicujus, verb. Illa vice, per textum in cap. Ex transmissa 7. de Filiis Presbyteror. ibi: Quo defuncto media intercessit persona, cui praedictum beneficium est collatum. Et tenent Pithing. loc. cit. num. 173. Reiffenstuel loc. cit. num. 137. & alii communiter, argument. cit. cap. Si alicujus 59. de electione. (Leg. 11. tit. 17. part. 1. cum 18. & 19.)
- 21 Penam inhabilitatis ad beneficium quodcumque Episcopus dispensando tollere non potest, quando simonia commissa est ab ipso Beneficiario, vel ab alio, ipso sciente, & consentiente, etiamsi simonia sit occulta; tunc enim talis simoniacus redditur perpetuo inhabilis non solum ad beneficium simoniace obtentum iterum obtinendum, sed etiam ad quaecumque alia beneficia per Jura, & constitut. Pontific. cit. supra art. 3. num. 15. & 16. Super quibus Episcopus dispensare nequit; cap. Interior 4. dist. 21. cap. Nulli fas sit 25. q. 1. cap. Institutionis 25. quest. 2. cap. Quod super his 9. & cap. Cum inferior. 16. de Majorit. & Obedient. Clement. Ne Romani §. 1. de election. ibi: Lex Superioris per inferiorem tolli non potest. (Lit. C pag. 93. n. 9.)
- 22 Et id procedit, nedum in foro externo, ut tenent Doctores communiter, sed etiam in foro interno, ut expresse declaravit Sacra Congreg. apud Castropal. de Simonia p. ult. num. 3. & Reiffenstuel loc. cit. n. 340. his verbis: Episcopus, etsi a simonia occulta absolute vere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia imposterum obtinenda, neque ad ea restituenda, quae per simoniam occultam retinet. Et sic tenent Pithing. loc. cit. num. 173. Suarez lib. 4. de Simonia cap. 61. num. 10. & 11. & communissima aliorum, teste Reiffenstuel loc. cit. num. 140. dicente, jam in praxi tutam minime esse contrariam sententiam Henriquez, & paucorum aliorum putantium probabile esse, quod Episcopus pro foro interno dispensare possit, si simonia sit occulta.
- 23 Quando simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a Dataria. Pir. Corrad. in prax. dispensat. lib. 5. cap. 9. num. 13. & 14. Reiffenstuel loc. cit. num. 343. & alii passim. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in Sacra Penitentia, Reiffenstuel loc. cit. num. 344.
- 25 In causis simoniae solus Judex ecclesiasticus cognoscere, & definitive pronuntiare potest, etiamsi Reus sit laicus. Jul. Clar. lib. 5. §. Simonia num. 7. Pithing. loc. cit. num. 142. Reiffenstuel loc. cit. num. 348. Abbas in cap. Cum sit 8. de foro competent. & ibi Glossa verb. Malefactores, & alii communiter: Simonia enim, cum versetur circa objecta spiritualia, est causa spiritualis; causatum autem spiritualium cognitio, & sententiae pronuntiatio pertinet ad solos Judices ecclesiasticos, privative quoad Laicos, textu expresso in cap. Decernimus 2. de iudicis, ibi: Decernimus, ut Laici ecclesiastica tractare negotia non presumant. Et concordat cap. Lator 5. cap. Causam qua 7. Qui filii legitimi, cap. Contingit 8. de Arbitris, cum similibus. (Fere convenit lex 11. & 21. tit. 17. part. 1.)
- 26 Ad accusandos simoniacos quisvis testis etiam criminosis admittitur, textu expresso in cap. Tanta 7. de Simonia, ibi: Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, & quilibet criminosis admittuntur ad accusationem. & concordat cap. Heli 31. & cap. Per tuas 32. eod. (Ad rem lex 48. tit. 5. part. 1. verb. Testis)
- 27 In simonia reali scienter contracta pro beneficio acquirendo, Penitentia non revalidat titulum ejusdem beneficii etiam in casibus occultis, & in foro

conscientiae, (in quo tamen dispensat ad exercitium Ordinum) nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris commissae, & Orator quamprimum id rescivit, dispensationem petierit, quod valet & in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Benedictus XIV. tom. 1. const. 99. incip. Pastor bonus §. 22.

Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, quando in ecclesiam ipsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. Ibid. §. 23.

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiae, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. Instit. eccles. 12. §. 11.

Si quis postulat a S. Congregatione absolutionem a simonia commissam in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum ut dimittat, moneat, & restituat, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti ecclesiae, vel pauperibus, restituat fructus perceptos, ibid. §. 12.

Si vero simonia commissae est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo ante possessionem, quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. Ibid. §. 12.

Simonia reali scienter contracta, Penitentia non revalidat titulos beneficiorum, aut reservationes pensionum. Benedict. XIV. tom. 2. const. 65. incip. Pastor bonus §. 22. Dispensat tamen in foro conscientiae ad exercitium Ordinum: Idem ibid. §. 19.

Summus Pontifex tamen ea, quae pollet amplissima potestate dispensare valet super penis simoniae in foro tum interno, tum externo; rarissime tamen hac potestate uti solet, teste Corrado in prax. dispens. lib. 1. cap. 9. num. 13.

Quinimo numquam simoniace proviso concessit retentionem beneficii, super quo simonia commissae est, si eo sciente commissae sit: Idem Auctor ubi supra.

Ceterum si ignorante proviso simonia sit commissae, nec ei concedit retentionem illius beneficii, sed ipsum noviter ei confert.

Porro ubi simonia sit publica, recursus haberi debet ad Datariam Apostolicam, ibique proponenda est supplicatio pro utroque foro, & exprimi debent fructus ex beneficio simoniace acquisito percepti, quum debeantur tunc Camerae Apostolicae, licet nonnumquam pro ipsis fieri soleat transactio. A proviso autem cum ignorantia simoniae sufficit eos exprimi fructus, qui percepti sunt post habitam notitiam simoniae, quum priores lucrerent.

At si simonia sit occulta, recursus habetur ad Sacram Penitentiam cum supplicatione dispensationis pro foro interno tantum. (Lex ult. tit. 17. p. 1. de mediatoribus tract. v. Testis.)

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Societas quid sit.
- 2 Ad societatem questuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones, quae assignantur.
- 3 Contractus vulgo dictus trium Contractuum secundum multos est illicitus, & usurarius.
- 4 Secundum tamen communem, & probabiliorum sententiam est licitus, & minime Usurarius.
- 5 Ut iustitia dicti Contractus trium Contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus.
- 6 Assignatur regula pro determinanda quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi.
- 7 Adducitur fundamentum hujus sententiae deducendum ex Jure.
- 8 Adducitur etiam ratio.
- 9 Afferitur, & solvitur instantia.

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

- 10 Afferitur, & solvitur alia instantia.
- 11 Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis.
- 12 In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum, adimium censetur commune.
- 13 Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad dictum damnum.
- 14 Ex dictis inferitur primo, quod si res tradita in societatem fuerit furto sublata defectu debite custodia, tenetur ille, cui data fuerit, illam compensare, nec damnum sit commune utrique.
- 15 Inferitur secundo, quod non solum tenetur socius ex dolo, culpa lata & levi, in ordine ad damnum ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans, & damnum emergens.
- 16 Inferitur tertio, quod ex culpa etiam levi alicujus ex sociis tenentur etiam heredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam.
- 17 Expensa, quae sunt causa necessitatis, debent esse communes, & solvenda sunt ex communi pecunia societatis.
- 18 Hinc si ex necessitate societatis quis ex sociis proficiat in alia Regione, & sumptus majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari.
- 19 An autem deducenda sint expensae illae, quas dicitur socius domi fecisset, si alio profectus non fuisset, Variam Doctores, quidam enim affirmant, & alii negant.
- 20 Conveniunt tamen, quod non essent solvenda ex bonis societatis expensae illae, quae inutiliter, & irrationaliter fierent in convivio, aliisque rebus non necessariis.
- 21 Si socius aliquis absque sua culpa etiam levi ex causa societatis damnum aliquod incurrit, est ei compensandum ex pecunia Societatis.
- 22 Secus esset dicendum, si talis socius ex culpa in tali damnum incidisset.
- 23 Socius etiam damna propria, quae socius non ex causa societatis incurrit, debent ipsi soli, & non societati imputari.
- 24 Societas finitur, seu dissolvitur quatuor praecipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione.
- 25 Ex personis dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quomodo societas cum pluribus contracta fuerit, & plures supersint.
- 26 Item per mortem civilem.
- 27 Item per maximam, & mediam capituli diminutionem, & non per minimam.
- 28 Quid & quomodo sit capituli diminutio, qualisque sit maxima, media, & minima.
- 29 Ex rebus dissolvitur societas, quando sortis capitalis perit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum.
- 30 Item societas dissolvitur publicatione bonorum.
- 31 Item societas dissolvitur per cessionem bonorum.
- 32 Ex voluntate dissolvitur societas per renuntiationem.
- 33 Item finitio negotiationis.
- 34 Ex actione dissolvitur societas iudicis iudicio, & Auctoritate.
- 35 Item per stipulationem.
- 36 Item quando socii non inscui separatum agere incipiunt, & unusquisque eorum sibi negotiatur.
- 37 Item quando ipsa actio perit.
- 38 Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est, actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto.
- 39 Item perit actio per sententiam iudicis, & per novationem, & delegationem.
- 40 Finita, seu dissoluta societate divisio bonorum, seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad aequalitatem iuxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem.
- 41 Finita, seu dissoluta societate, attenda natura contractus, si alter ex sociis contulit rem seu pecuniam, & alter suam meram industriam, seu operam non

majoris valoris dictae pecuniae, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, & solum lucrum dividendum.

- 42 Si finita, & dissoluta societate, nullum sit lucrum dividendum, adhuc totum capitale est restituendum ei, qui illud contulit, & si capitale perierit, totum ipsi conferenti perit.
- 43 Finita, & dissoluta societate, si super ipsa nihil expresse determinat Jux, & nulla inter contrahentes praecesserit iuxta pactio, divisio est faciendi iuxta probatam consuetudinem loci.
- 44 Subneuntur Supplementa Auctoris.
- 45 Novae Addit. ad fin.

SOCIETAS est contractus duorum, vel plurium aliquid pretio aestimabile (utpote suam pecuniam, mercem, operam, industriam, & hujusmodi) conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum. Est in re Communis, & desumitur ex leg. Societatem 4. leg. Societates 5. leg. Si Societatem 6. ff. Pro socio, & Instit. tit. 26. de Societate. (Proemium & lex 1. tit. 10. part. 5.)

Ad Societatem questuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut societas fundetur in negotiatione licita, & honesta. Unde iniqua, & invalida est societas, quae instituitur, & inquit ad illicitum, & inhonestum commercium, ut ad meretricium, lenocinium, usuram, furtum, fraudem, & quemcumque malum dolum, leg. Ea vero 3. §. 3. & leg. Nec praetermittendum 17. ff. Pro socio. (L. 2. tit. 10. part. 5.) Secunda, ut quilibet socius aliquid pretio aestimabile conferat in communem societatem, sive dein conferat pecuniam, aut mercem, sive operam, vel industriam suam. Plerumque enim pauperiores supplent sua opera, & industria, quod alii praestant suis pecuniis, & mercibus, leg. Societates 5. & leg. Si societatem 6. ff. Pro socio. Tertia, ut servetur aequalitas inter socios, tam quoad damna, quam quoad lucra, ita ut alius pro alio non ledatur, & lucrum, jactura, impendia, & detrimenta communicentur inter omnes socios, pro rata cujusque sortis, nisi aliter conventum sit, leg. Si societatem 6. & leg. Si non fuerit 29. ff. Pro socio, & §. 1. & 2. Instit. de societate. Quarta, ut capitale collatum in communem societatem subiaceat periculo conferentis, ita ut si pereat absque culpa socii, pereat illi, qui illud in societatem communem contulit, cum talis conferens sit solus dominus dicti capitalis, & quilibet res domino suo perdat, nisi tamen aliter conventum sit per pactum assecurationis per infra dicenda de contractu vulgariet dicto trium contractuum; argument. cap. Contractus 83. de Regul. Juris in 6. ibi: Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. & §. 2. Instit. de societate, & leg. Si non fuerit 29. ff. Pro socio, & leg. Depositum 1. §. 6. ff. Depositum. (Lex 1. ff. Vide in omni specie contractus.)

Contractus vulgo dictus trium contractuum, scilicet Societatis, assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro certo, secundum multos est illicitus, & usurarius, si celebretur cum eadem persona, sive simul, sive concessive. Sic Sotus lib. 6. de Just. q. 6. art. 6. Felicius de societate. cap. 19. num. 27. Arragonius 2. 2. quest. 78. art. 2. Bannes 2. 2. quest. 78. art. 4. de societate. dub. 1. Rebellus lib. 15. quest. 4. Azorius Instit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 4. quest. 5. vers. Ex his solvitur altera difficultas: qui pro se citat Sanctum Thomam 2. 2. quest. 78. art. 2. ad quintum, Sanctum Bernardinum Sen. part. 2. serm. 39. art. 1. cap. 1. vers. Primum casus: Sanctum Antonium part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 7. Glossam in cap. Plerique 14. quest. 3. Abbatem in cap. Per vestras, de donationibus inter Virum, & Uxorem, Rodolphum in cap. Consuluit, de usuris part. 2. quest. 19. Accusium in leg. Si non fuerit 29. ff. Pro socio. Baldum in leg. 1. C. Pro socio, innumerosque, tum canonici, tum civilis Juris Interpretes; Et sic tenet etiam Henno rom. 2. tract. 2. disp. 9. quest. 5. concl. unica. Et novissime cum pluribus aliis Pontas verb. Societas cas. 30. per

per tot. ubi mordicus hanc propugnat sententiam adducens ad id constitutionem 45. Sixti V. incip. Detestabilis avaritiam: & multa alia ad rem, solvendo etiam contraria. V. infra num. 44.

4 Communior tamen, & probabilior sententia docet talem contractum trium contractuum esse licitum, & minime usurarium, quamvis cum eadem persona, sive simul, sive successive celebratum. Sic tenent Gabriel in 4. dist. 15. q. 11. dub. 10. Major in 4. dist. 15. q. 27. Valentia disp. 15. tom. 3. quest. 24. punct. 2. Molina de Just. & Jur. lib. 2. cap. 25. dub. 3. Covarrub. leg. 1. var. resolut. cap. 2. num. 3. Tolet. lib. 5. cap. 41. Bartholomæus Medina in Instrucl. §. 27. Garcias de contractibus part. 2. cap. 17. Ludovicus Lopez de contractibus lib. 1. cap. 65. Navarr. cap. 17. n. 225. Angelus verb. Societas 1. §. 17. Silvester verb. Societas 1. quest. 2. Fumus verb. Societas n. 6. Laym. leg. 3. sect. 5. tr. 4. c. 20. n. 2. Bonac. tom. 2. disp. 3. de contract. q. 5. punct. 1. n. 3. vers. Dixi nisi, Reginald. leg. 25. cap. 29. n. 397. Lugo de Just. & Jur. sect. 4. n. 40. Reiffenstuel theol. moral. tr. 8. dist. 4. quest. 10. n. 134. Petrus Marchant. tribum. tom. 2. tr. 8. tit. 5. sect. 8. dub. 2. Diana part. 1. tr. 30. de contract. resol. 8. Sporer tom. 2. tr. 6. de Contr. Societatis num. 58. La Croix lib. 3. part. 2. num. 876. cum Busemb. & pluribus aliis ibi citatis, & Felix Potes-tas tom. 1. part. 2. num. 2420. & alii innumeri. Et ex Jurispreritis Hostiensis in Summa tit. de Usuris §. In aliis autem, vers. Porro fieri potest: Joan. Andreas & cap. Per vestras de donation. inter Virum & Usor. & alii, & videtur colligi ex leg. Si non fuerit 29. §. 1. ff. Pro socio, leg. Depositum 1. §. 6. ff. Deposit. c. Per vestras 7. de donationibus inter Vir. & Usor. cap. Contractus 85. de Regul. Jur. in 6.

5 Contractum trium contractuum nullatenus esse privata auctoritate censura notandum lubens admitem, monitum in hoc sequens sapientissimi, ac circumspicississimi Pontificis Benedicti XIV. tom. 19. de Synod. cap. 7. Periculosum nihilominus, atque in praxi vix ab usura immunes illum pronuntiabo, & ac proinde Fideles deterrandos esse ab eo inuendo, ut plures præstiterit Episcopi, & Synodi, ut optime animadvertit idem Pontifex, ibid. nec defuitur ipsemet Lucius. num. 44. hujus tituli. His positis, divinarum non valeo, cur sententiam, quæ talem contractum licitum reddat, possit hic probabiliorum, & communiorem appellare.

Verum hujusmodi similesque voces non semper rectam suam præferunt significationem, cum à Casuistis usurpantur.

6 Ut justitia dicti contractus trium contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus. Supponamus, quod Titius det Cajo mercatori mille Florenos ad negociandum, & d. mille Floreni Titii sint æqualis valoris cum industria Caji, & insuper quod spes lucri Judicio prudentum, & peritorum sit de 300. Florenis: In tali casu ex vi contractus societatis debentur Tito una cum sorte 150. Floreni, qui sunt dimidium lucri prudenter sperati: At quia ad Titium spectare deberet sortis, seu capitalis periculum, ideo convenit cum Cajo, ut periculum illud, & onus omne in se suscipiat assicurando sortem, seu capitale, pro cuius assicurationis, & oneris suscepti compensatione, relinquat ei majorem partem dicti lucri prudenter sperati, ita ut sola tertia pars, nempe 100. Floreni pertineat ad ipsum Titium, & alia duæ partes nempe 200. Floreni spectent ad Cajum: & quia adhuc in Titio manet incertitudo lucri sperati, ideo tertiam illam partem lucri sperati scilicet 100. Florenos in se continet vendit Cajo pro dimidio circiter. g. po. 50. vel 60. Florenis certis: Spem enim lucri capiendi, non minus quam jactu retis justo pretio vendi posse nemo dubitat, ut recte advertit Spor. loc. cit. num. 59. Dicit autem tres contractus, scilicet societatis, assicurationis, & venditionis, sicuti secundum se sunt justis, & licite celebrati cum tribus diversis personis, ut omnes fateatur, ita etiam justis, & liciti sunt, si celebrentur simul cum eadem persona, quia nec unio, nec identitas personæ, destruit substantiam contractus.

Pro determinanda tamen quantitate anni lucri ex

hoc contractu societatis licite exigendi attendenda est regula, quam ex Cardinali de Lugo tradit Sporer loc. cit. num. 60. nempe quod lucrum certum, quod socius conferens capitale exigere potest, debet esse ita moderatum, ut attento capitali, quod confert, & spe lucri, quod potest esse ex tali negotiatione, juste consensetur periculum, quod alter socius subit per assicurationem capitalis, & certi anni lucri, quod dare promittit. Unde fit, quod aliquando vix quatuor, tria, aut duo certa exigi possint pro 100. collatis, quando scilicet secundum rectum judicium prudentum, & peritorum mercatorum, negotiatio suscepta non valde lucrosa est: Contra autem 6. 7. immo & 8. certa juste exigi possunt pro 100. collatis, quando secundum dictum rectum judicium prudentum, & peritorum mercatorum, negotiatio suscepta est adeo notabiliter lucrosa, ut alter socius ex remanente sibi lucro sufficienter satisfactus censetur pro onere, & periculo, quod subit ratione prædictarum assicurationum, nempe capitalis, & certi anni lucri, & ideo Bonacia disp. 3. de contract. q. 3. prop. 13. cum supposuisset licite posse exigi 5. pro 100. ibid. num. 6. recte addit, in societate trium contractuum plus posse exigi, quando negotiatio majus lucrum affert.

Unde istis notatis adducitur fundamentum hujus sententiæ desumptum ex l. Si non fuerit 29. §. 1. ff. Pro socio, ubi præcise dicitur: Ita coiri societatem potest, ut nullus partem damni alter sentiat, lucrum vero communis sit. (Leg. 4. tit. 10. p. 5.) Hoc autem non potest fieri, nisi assicurando capitale, & lucrum certum, ut explicat Glossa ibid. vers. Damnum est: ita ut nullum remaneat periculum damni subeundi. Et favet etiam cap. Ad vestras 7. de donationibus inter virum & uxorem, ubi Innocentius III. præcepit, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum, quod dicitur Pontifex non præcepisset, nisi supposuisset fuisse licitum sortem dotis præcipuum salvam præstare apud Mercatorem suscepturum hujus summae periculum & intermedio tempore soluturum fœnus æquum, & honestum compensando se quæstu, quem Societas pareret, ibi: Mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione, præstare, vel saltem alicui Mercatori committi, ut de parte honesti lucri dicitur vir onera possit Matrimonii sustentare. (Vid. leg. 3. tit. 10. part. 1. præcipue leg. 29. tit. 11. part. 4. quæ cum dict. cap. convenit.)

Accedit ratio, quia in illo contractu servatur justitia commutativa, cum, ut supponitur, assicuratio capitalis, & venditio lucri incerti fiant justo pretio, ergo est justus, & licitus: Sicuti enim fit justo pretio cum diversis personis, ita etiam cum eadem; quandoquidem personarum diversitas non mutat pretia rerum, nec variet rationem contractus; adeoque si talis triplex contractus, celebratus cum diversis personis licitus est, & non usurarius; ita etiamsi celebretur cum eadem persona.

Nec valet dicere, quod si tale capitale pereat, debeat perire ipsi conferenti, qui illius adhuc est vetus dominus, cum quælibet res domino suo pereat. Non valet, inquam, quia hoc verum est regulariter loquendo, ac æquilo specialia pacta, quo quis periculum rei alienæ sponte in se suscipit: alioquin secus. Quamvis enim in simili Commodatarius, vel Depositarius regulariter non teneatur de casu fortuito; quo res commodata vel deposita absque sua culpa perit: Secus tamen si præcessit pactum de præstando casu fortuito textu expresso in cap. Cum gratia 1. de Commodato, & cap. Bona fides 2. de Deposito. Contractus enim ex Conventionione legem accipere dignoscuntur; cap. Contractus 85. de Reg. Jur. in 6. l. Contractus 23. ff. de Reg. Juris, & leg. Depositum 1. §. 6. ff. Deposit.

Nec valet instare, quod Sixtus V. in allegata constituit 45. incip. Detestabilis avaritiam: damnaverit omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale saluum maneat, sive contrahatur ad certum, sive ad incertum lucrum. Non valet, inquam, quia, ut referunt Comitolus lib. 3. Respons. moral. quest. 12. num. 3. & ex ipso Card. de Lugo cap. disp. 30. num. 37. & alii apud ipsum Card.

Card. de Lugo, idem Sixtus V. de sensu Bullæ interrogatus, respondit, se in ea voluisse solum prohibere in Contractibus Societatis illas injustas pactiones, quas Classici Doctores condemnarent; & sic etiam asseveraverunt Patri Tuccio eximio præclarissimæ Societatis Jesu Theologo, Cardinalis S. Severinæ, & Cardinalis Toletus, qui jussu Sixti V. dictam Bullam condiderunt. Accedit Rota in Romana Societatis die 3. Jun. 1602. coram Coccino Decano, ubi censuit dictam Bullam comprehendere solum casum Usurarios de jure communi, additis tamen majoribus penis; quam decisionem refert Flavius Cherubinus in compendio Bullarum schol. 1. ad dictam Bullam 45. Sixti V. Tum quia Lessius loc. cit. num. 331. apud La Croix loc. cit. num. 876. vers. Hæ rationes, & alii apud Card. de Lugo loc. cit. num. 37. dicunt, Sixtum V. solum prohibuisse hujusmodi pactiones, quando apponuntur ex vi solius societatis, non tamen quando societati adjungitur alius contractus, quo socius propter pretium justum suscipit in se periculum capitalis assicurando illud, vel emit spem lucri incerti, offerendo pro illo partem minorem certam; Nec S. Thomas, S. Antoninus, & S. Bernardinus Senensis citati pro contraria sententia, si bene perpendantur, habent aliquid in re contra istam sententiam, in ponderando eorum verba recte advertit Doctissimus Rossignolus præstantissimæ Religionis S. Pauli Decollati, de contractibus contror. 3. disquisit. 6. §. 8. n. 8.

11 Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assicurationis, ita ut possit tradi Rustico, seu Pastori certus numerus pecorum, ovium, vaccarum, & hujusmodi cum communi participatione fructuum, sed cum hoc, quod periculum non ad dantem, sed ad accipientem spectet, ut scilicet teneatur pro pereuntibus totidem substituere, & adhuc annuam pensionem solvere, sed minorem, quam alius deberet, ut sic fiat justa, & æqualis compensatio pro illo onere imposito, & suscepto, diminuendo scilicet tantum de lucro respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille cui conferuntur. Sic Lessius lib. 2. cap. 25. dub. 5. Molina loc. cit. disp. 503. Layman loc. cit. num. 4. Sporer loc. cit. num. 60. & ipso teste Communis aliorum contra paucos: Et ratio est, quia in tali contractu societatis nulla proprie intervenit usura, cum unica sedes usuræ sit mutuum. In tali autem contractu cum tali pacto nullum proprie intervenit mutuum, nec formale, nec virtuale, cum non transferatur dominium rei collatæ in recipientem, uti requiritur de ratione mutui, quandoquidem per mutuum proprie transferatur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, adeoque, &c. Tunc quia mutuum consistit in rebus non frugiferis, sed usu absumendis, ut pecunia, frumentum, vinum, & hujusmodi. In dicto autem contractu danur res frugifera, adeoque pars fructuum pro eis juste exigi potest, non obstante tali pacto; dummodo tantum diminuatur de lucro, se de ipsa parte fructuum respectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod suscipit ille, cui conferuntur.

12 In contractu Societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum, damnum censetur commune. Communis, per text. in l. Cum duobus 52. §. 4. ff. Pro socio. (Leg. 3. §. 13. tit. 10. part. 5.)

13 Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad ipsum damnum: Socius enim tenetur versus Socios de dolo, culpa lata, & levi, non tamen levissima. Communis. Et quidem quod teneatur de dolo, evincitur aperte ex §. Socius 9. Instit. de societate, leg. Cum duobus 52. §. 2. & 3. ff. Pro socio, cum similibus. Quod teneatur Socius de culpa lata, habetur clare ex cit. §. Socius 9. Instit. de societate, leg. Non ob eam 25. §. leg. Socius 72. ff. Pro socio, cum similibus. Quod teneatur socius etiam de culpa levi, demonstrat manifesta ratio, quia contractus societatis est ex illis, qui conferunt ad utriusque contrahentis utilitatem: In istis autem contractibus uterque contrahens tenetur, nedum de dolo, & culpa lata, sed etiam de levi, textu expresso in leg. Si ut certo 5. §. 2. ff. Commodati, leg. Contractus 23. ff. de Regul. Jur. cum simi-

libus, adeoque, &c. Quod autem non teneatur socius de culpa levissima, habetur clare ex citat. §. Socius 9. Instit. de societate, ubi sic expresse dicitur: Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est, quod expresse habetur etiam in cap. leg. Socius 72. ff. Pro socio, ibi: Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est. (Leg. 5. §. 7. tit. ejusd. 10. part. 5.)

14 Ex dictis inferitur primo, quod, si res tradita in societatem, fuerit furto sublata defectu debita custodia, teneatur ille, cui data fuerat, illam compensare, nec damnum sit commune utriusque. Communis, per text. in leg. Cum duobus 52. §. 1. 2. & 3. ff. Pro socio. (Vid. proxime.)

Inferitur secundo, quod non solum teneatur socius ex dolo, culpa lata, & levi in ordine ad damnum ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans, & damnum emergens. Communis, claris textibus in leg. Cum duobus 52. §. 11. ff. Pro socio, & leg. Socium 60. ff. eod.

15 Inferitur tertio, quod ex culpa etiam levi alicuius ex sociis teneatur etiam hæredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam. Communis, claris textibus in leg. Hæres 40. ff. Pro socio, & leg. Verum 63. §. 8. ff. eod. ubi expresse dicitur: In heredem quoque socii pro socio adlio competit, quamvis hæres socius non sit, licet enim socius non sit, atamen emolumentum successor est. (Ad rem lex fin. tit. 10. p. 5.)

16 Expensæ, quæ fiunt causa societatis, debent esse communes, & solvendæ sunt ex communi pecunia societatis. Communis, textu expresso in leg. Cum duobus 52. §. 15. ff. Pro socio, cum similibus. (Leg. 16. ejusd. tit. & part.)

17 Hinc si ex necessitate societatis quis ex sociis profisciscatur in alias Regiones, & sumptus longe majores faciat, quod non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari. Communis, textu expresso in cap. leg. Cum duobus 52. §. 15. ff. Pro socio, cum similibus.

18 An autem deducendæ sint expensæ illæ, quas dicitur socius domi fecisset, si alio propter societatem non fuisset profectus? Variant Doctores. Detrahendas enim esse defendunt Major in 4. dist. 15. quest. 47. Angelus verb. Societas num. 12. Silvester verb. Societas 1. q. 12. Rillius tract. 8. cap. 3. num. 73. Gama dec. 213. Rossignol. de societate contract. 7. prænot. 13. num. 5. vers. Limita quarto, & alii hac ducti non spernenda ratione Jure suffulta, quod expensas, quas socii in rebus suis privatis faciunt, vel facere debent, ex suo solvere debent; leg. Cum duobus 52. §. 15. & 16. ff. Pro socio. Non esse autem detrahendas sustinent Lessius lib. 2. cap. 25. dub. ultim. num. 35. Azorius lib. 9. cap. 5. q. 8. Reginald. leg. 25. cap. 27. num. 395. Layman loc. citat. num. 5. Bonacia loc. cit. punct. 4. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. num. 145. Navarr. manual. cap. 17. num. 265. & alii, hac ducti ratione, quod Jura præscribentia expensas hujusmodi faciendas esse de bonis Societatis, absolute loquuntur sine ulla restrictione, ut patet ex cit. leg. Cum duobus 52. §. 15. & 16. ff. Pro socio, (Vid. dict. leg. 16. quæ sine distinctione etiam loquitur.) & similibus: Quod autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, cap. Quia circa 22. de Priv. & leg. De pretio 8. ff. De Publiciana in rem actione (Lit. 1. pag. 19. num. 100.) Accedit praxis, & consuetudo, quæ est optima legum interpres; leg. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus, cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, quæ ubi vere adsit, est servanda, arg. cap. Cum tanto 11. de consuetudine. (Verb. Consuetudo.)

19 Conveniunt tamen omnes, quod non essent solvendæ ex bonis Societatis expensæ illæ, quæ inutiliter, & irrationabiliter fierent in conviviis, aliisque rebus non necessariis; itæ enim cum non cederent in bonum societatis, nec de bonis societatis, sed de bonis propriis eas inutiliter, & irrationabiliter facientis, essent solvendæ, cum justum non sit, ut quod pro se inutiliter consumitur, in aliorum perniciem transfundatur. Peccata enim suos debent tenere Auctores; leg. Sancimus 22. de Panis, cap. Quæsitivæ 2. De his, quæ fiunt

à majori parte Capituli. (Lit. I pag. 37. num. 122.) Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, leg. Non debet 7. ff. de Regul. Juris, cap. Non debet 22. de Regul. Juris in 6. (Lit. P pag. 74. ante vers. Permutas.)

21 Si socius aliquis absque sua culpa, etiam levi, ex causa, seu ratione societatis damnum incurrit, quia v. g. ad merces comparandas profectus in latrones incidit, qui eum vestibus, & pecunia etiam propria spoliaverunt, vel se, aut servum ejus vulneraverunt, & proinde ad se, vel servum curandum multas fecit expensas, tales expensæ solvendæ sunt ex pecunia societatis. Communis, textu expresso in cit. l. Cum duobus 52. §. 9. ff. Pro socio, cum similibus.

22 Dicitur autem notanter: absque sua culpa etiam levi, quia scilicet esset dicendum, si dictus socius ex sua culpa in tale damnum incidisset, v. g. pergendo contra expressam consociorum prohibitionem per viam periculosam, & à latronibus obsessam, et hujusmodi. Communis, arg. cit. l. Cum duobus 52. §. 4. in fine, ibi: Nam sicuri lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit, ubi notat ly quod non culpa socii contingit, ex quibus verbis stat clarum, quod non debeat esse commune damnum, quod culpa socii contingit, ut ibidem §. 18. ibi: Si ob malefictum suum, ipsum tantum damnum sentire debere. Socius enim tenetur, nedum de dolo, & culpa lata, sed etiam de culpa levi, per Jura adducta supra num. 13. Tum quia justum non est, ut societas damnum patiarer ex culpa alicujus socii; Peccata enim suos debent tenere Auctores, l. Sancimus 22. Cod. de penis, cap. Quæ sicut 2. De his, quæ sunt à majori parte Capituli, (Vide sup. num. 20.) Et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut expresse statuitur in cap. Cognoscentes 2. de Constitutionibus. (Verb. Monitorium num. 52.) Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expresso in cap. Non debet 22. de Reg. Jur. in 6. l. Non debet 74. ff. de Reg. Juris. (Vide sup. lit. P & verb. Restitutio.)

23 Dicitur etiam notanter ex causa seu ratione societatis, quia damna propria, quæ socius aliunde incurrit, v. g. quia iter ad proprium commodum arripuit, & inde à latronibus pecunia, & rebus fuit spoliatus, seu vulneratus fuit, vel ob privatas inimicitias, seu rixas fuit vulneratus, & hujusmodi, non debent Societati imputari, sed ipsi soli. Communis, textu expresso in l. Socium qui 60. §. 1. ff. Pro socio, & concordat, cit. leg. Cum duobus 62. §. 18. ibi: Si ob malefictum suum, ipsum tantum damnum sentire debere. (Lit. E pag. 348. n. 6. & lit. D p. 1.)

24 Societas finitur, seu dissolvitur quatuor præcipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione, textu expresso, in l. Verum est 63. §. 10. ff. Pro socio, ibi: "Societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione: Ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrabi videtur societas." Et concordat leg. Societatem 4. & l. Actione 65. ff. eod. & Inst. de Societate §. 4. §. 6. 7. & 8.

25 Ex personis dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quamvis societas cum pluribus contracta fuerit, & plures supersint, cit. l. Societatem 4. l. Verum 63. §. 10. & leg. Actione 65. §. 9. ff. Pro socio, & §. Solvitur 5. Inst. de societate. Nisi enim in coeunda societate aliter convenierit socii, hæres socii defuncti non succedit, cum censetur electa industria personæ, textu expresso in cit. leg. Actione 65. §. 9. ff. Pro socio, & cit. §. Solvitur 5. Inst. de Societate: Unde hæres socii defuncti non succedit in locum ejus, nisi novo consensu inear societas; leg. Nemo potest 35. & leg. Plane 37. ff. Pro socio.

26 Et istud extenditur etiam ad mortem civilem alicujus ex sociis, qualis censetur incurri per exilium, & Professionem Religiosam; argument. citat. Juribus, & §. Minor. 2. Inst. de capitis diminutione; Cum enim censetur electa in societate industria personæ, & ignoretur qualis futura sit industria hæredis exulis, seu

professi, non potest ipse hæres in ejus locum succedere, nisi novo consensu inear societas, cit. l. Nemo potest 35. & l. Plane 37. ff. Pro socio.

Item dissolvitur societas per maximam & medianam capitis diminutionem; non per minimam, textu expresso in cit. leg. Verum 63. §. 10. Pro socio: "Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis diminutione, aut morte."

Quid autem, & quotuplex sit capitis diminutio, habetur in Inst. de capitis diminutione in princip. ibi: "Est autem capitis diminutio prioris status mutatio: "Eaque tribus modis accidit: Nam aut maxima est capitis diminutio, aut minor (quam quidam medianam vocant,) aut minima;" Et §. 1. expresse dicitur: "Maxima capitis diminutio est, cum aliquis simul & civitatem, & libertatem amittit, quod accidit in his, qui servi penæ efficiuntur atrocitate sententiæ; vel liberatis, ut in ingratum erga Patronos condemnatis; vel in his, qui se ad pretium participandum venundari passi sunt." Et §. 2. sic: "Minor, seu media capitis diminutio est, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit, vel ei, qui in insulam deportatus est." Et §. 3. sic: "Minima capitis diminutio est, cum civitas retinetur, & libertas, sed status hominis commutatur: quod accidit in his, qui cum sui Juris fuerint, cooperunt alieno Juri subiecti esse, vel contra: Veluti si filius familias à patre emancipatus fuerit, est capite diminutus." Et §. 4. sic: "Servus autem manumissus capite non minuitur, quia nullum caput habuit." Et §. 5. sic: "Quibus autem Dignitas magis quam status permittitur, capite non minuuntur, & video à Senatu motos capite non minui constat." (Lit. T pag. 51. col. 2.)

Ex rebus dissolvitur societas, quando sors capitalis perit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum, quia v. g. facta est Religiosa, & Deo consecrata; cit. l. Verum §. 10. ibi: "Res vero, cum aut nulla relinquuntur, aut conditionem mutaverint: Neque enim ejus rei, quæ jam nulla sit, quisquam Socius est, neque ejus, quæ consecrata... sit."

Item societas dissolvitur publicatione bonorum, cit. leg. Verum §. 10. ibi: Publicatae sit; & cit. l. Actione 65. §. 12. ff. eod. ibi: "Publicatione quoque distrabi societatem diximus: quod videtur spectare ad universorum bonorum publicationem, si socii bona publicentur, nam cum in ejus locum alius succedat, pro mortuo habetur;" & §. Publicatione 7. Inst. de Societate, ubi habentur fere eadem verba.

Item societas dissolvitur per cessionem bonorum, cum quis ære alieno, & egestate oppressus bonis suis cedit, §. Item si quis 8. Inst. de Societate, ibi: "Si quis ex sociis mole debiti prægravatus bonis suis cesserit, & ideo propter publica, aut privata debita substantia ejus veniat, solvitur societas;" cit. l. Societatem 4. ff. Pro socio, juncta Glossa ibi. verb. Egestatem: ubi expresse dicit: Ut si quis ex Sociis bonis cesserit.

Ex voluntate dissolvitur societas per renuntiationem, textu expresso in cit. l. Verum §. 10. ibi: Voluntate distrabitur societas renuntiatione: Intellige tamen per renuntiationem seu consensum mutuum omnium sociorum; aliis vero, si unus solummodo renuntiet, ipse quidem à se liberabit socios suos, se vero non liberabit ab ipsis, quando societati interfuit, non dirimi tunc societatem, textu expresso in cit. l. Actione 65. §. 3. cum sequent. ff. Pro socio, & concordat §. Manet 4. Inst. de Societate.

Item finitur societas finita negotiatione, textu expresso in cit. l. Actione §. 10. ibi: Item si alicujus rei societas sit, & finis negotio impositus, finitur; & §. Item 6. Inst. de Societate, ibi: Item si alicujus rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est, finitur societas.

Ex actione dissolvitur societas Judicis Judicio, & auctoritate, id est, quando excitata inter socios controversia per Judicem dirimitur per dissolutionem contractus;

tus; l. Actione §. in principio ff. Pro socio, ibi: "Hoc ipso, quod Judicium ideo dictatum est, ut societas distrahatur, renuntiant societatem, sive totorum bonorum, sive unius rei societas coita sit."

Item actione dissolvitur societas per stipulationem, id est, per novationem, seu delegationem, quando unus socius, non renuente, sed potius altero acceptante, obligationem suam, quam contraxit versus ipsum in celebratione contractus, in tertiam personam transfundit, quam delegat, vel unam in alteram obligationem commutat, cit. leg. Actione in principio, ibi: Actione distrahitur, cum ab stipulatione, aut Judicio mutata sit causa societatis. (Verb. Transactio.)

Item actione dissolvitur societas, quando socii non inter se separatim agere incipiunt, & unusquisque eorum sibi negotiatur, textu expresso in l. Itaque 64. ff. Pro socio, ibi: Itaque cum separatim socii agere ceperint, & unusquisque eorum sibi negotiatur, sine dubio Jura societatis dissolvitur.

Item actione dissolvitur societas, quando ipsa actio perit, textu expresso in cit. l. Verum §. 10. ff. Pro socio, ibi: "Ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrabi videtur societas."

Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est, actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto, textu expresso in cit. l. Actione §. 6. ibi: Quod si tempus finitum est, liberum est recedere, quia sine dolo id fit. Item perit actio per sententiam Judicis, arg. cit. Jur. supra num. 34. Item per novationem, seu delegationem, argum. cit. Jur. supra num. 35.

Finalis, seu dissoluta societas, divisio bonorum, seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad æqualem juxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem, ita ut si æqualem pecuniam, vel industriam contulerit, æquale lucrum recipiat, & si in æqualem contulerit pecuniam, vel industriam, in æquale etiam ad proportionem lucrum reportet. Communis, per textum in l. Si societatem 6. ff. Pro socio, ibi: "Si societatem (mecum) coieris ea conditione, ut partes societatis constitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda est, & conveniens est viri boni arbitrio, ut non utique ex æquis partibus socii sumas." Veluti si alter plus opere, industria, & pecuniæ in societatem collaturus sit, & in l. Si non fuerint 29. ubi eodem, ibi: Si vero placuerit, ut quis duas partes, vel tres habeat, alius unam, an valeat? Placet valere, si modo aliquid plus contulit societati, vel pecuniæ vel opere, vel cujuscumque alterius rei. Quod ita denuum valebit (ut & Sabinus scribit) si stanti sit opera, quanti damnum est. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat, quam pecunia. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus;" Et concordat §. De illa 2. Inst. de societate.

Finalis, seu dissoluta societas attenda natura contractus, si alter ex sociis contulit rem, seu pecuniam, & alter suam meram industriam, & operam non majoris valoris dicte pecuniæ seu rei, capitale est restituendum ei, à quo datum est, & solum lucrum dividendum. Abbas cont. 77. col. 2. Bolognetus in Apostol. ad cons. 99. Joan. de Anan. Lapsus allegat. 94. num. 3. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. Silvester verb. Societas 1. q. 20. Angelus verb. Societas §. 17. Sotus lib. 6. de Justit. q. 6. art. 1. in fine, Navarrus in Egobrid. cap. 17. num. 333. Lessius lib. 25. dub. 20. à numero. 15. ad 20. Mantica lib. 6. tract. 14. num. 17. Rosignolus de societate contract. 7. num. 2. & alii, arg. cit. Juribus n. antecedenti, aliisque in toto titulo Pro Socio, & Tit. familia excoisunde, & Tit. de communi dividundo, ubi dicitur, socii capitale integre reddendum, & nullibi fit mentio de capitali dividendo. Et ratio est, quia si capitale esset inter dictos contrahentes dividendum, non esset æqualis utriusque contrahentis portio: conferens enim capitale non posset habere nisi Jus ad lucrum proportionatum cum a missione partis capitalis; conferens autem operam, & industriam, haberet Jus ad lucrum etiam proportionatum, & insuper ad

determinatam partem capitalis, quod non est dicendum, adeoque &c. Tum quia, si capitale perit, perit ipsi contrahenti: ergo si remanet, eidem remanere debet. Unde: Cujusmodi Jura canon. thom. & prax. & c. c. 1. n. 7. sic concludit: His addit, Sixtum 17. in extrarogantia Detestabilis avaritiae; ita sentire, sortem finitæ societatis in æqualem esse illi, qui eam contulit; si exar. Si finita & dissoluta societas, nullum sit lucrum, adhuc totum capitale est restituendum ei, qui illud contulit; Et si capitale perierit, totum ipsi conferenti perit. Sic contra paucos fore Communis Doctorem, & signatè Cabassutius loco citat. nam: 32. ubi inter alia requirit ad justam societatem, hoc quantum enumerat sic expresse dicens: "Quarto, ut singuli subeant damna: & expensas pro rata quoque eorum, quæ ex parte sua contulerunt; atque seorsim totam incurrant aucturam eorum, quæ in sortem contulerunt, ut qui pecuniam contulit, totum pecuniam suam periculum subeat; si absque socii culpa levi, aut lata, ipse perierit; si vero salva pecunia nihil obveniat lucri, socius abster, qui suam laborem, vel industriam contulit, subeat solus pericula industriae, seu laboris: pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt." Et infra n. 7. concludit: "Si pecunia perierit, perire illi debet, qui eam contulit, ergo si super sit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum;" cap. Qui sentit onus 5. de Reg. Juris; & secundum naturam est commoda cujusque rei cum sequat, quem sequuntur incommoda, leg. Secundum naturam 10. ff. de Reg. Juris. (Lit. T pag. 105. col. 2. vers. In duodecima:)

Finalis, & dissoluta societas, si pro ipsa nihil expresse determinet Jus, & nulla inter contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem cujusque loci, seu regionis, quia quando nihil conventum est in contractibus, & Jura nil determinate præscribunt, id ad quod præsumitur, quod consuetum est; l. Quod si noluerit §. 2. ff. de Edilitio Edicto; l. Si prius 17. §. 1. ff. de aqua, & aqua pluvie arcenda. Et hoc cum omnimodo fundamento, cum consuetudo sit Jus non scriptum, seu Jus quoddam motibus utentium comprobatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, textu expresso in cap. Consuetudo 5. dist. 1. ibi: Consuetudo est: Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. (Vid. verb. Consuetudo. Leg. 2. tit. 33. p. 7. cum leg. 25. tit. 11. p. 5. Ad rem 4. tit. 31. p. 3.)

Advertendum est circa dicta de contractu vulgarium contractuum, quod Benedictus XIV. de Synodo Diocetana lib. 7. cap. 5. assertit, disputari adhuc, an reuera fuerit à Sixto V. peculiari Constitutione super illo edita, prohibitus talis contractus, & erudite dilactis, & scite suo more ponderatis utriusque sententiæ rationibus, recte concludit, quod Episcopi in Synodo à definitionibus super eo abstinere debent, sed subditos suos ab illo, utpotè periculoso demortari. Vidit ipsum ibi, ubi plurima egregie tradit ad rem scitu dignissima; & Rosignolus loc. cit. nobis cit. supra, sub num. 10. ubi sub num. 32. utramque sententiam recte conciliat. (Si bene recognoscantur leg. prædictæ, tit. 10. præsertim leg. 10. usque in fin. proposita ex num. 29. penitus confirmationem fere recipiunt.)

Tria hic addere libet. Primum est, quod societas jus quodammodo præsumitur completi dicitur; l. 63. princip. ff. Pro socio. Hinc autem varia deduxerunt Romani Jurisconsulti. Nam infamiam minuat socio illi, qui perfide agit; l. 6. ff. de his, qui notantur infamia; Beneficium competentie inter socios locum habere statuunt, qualiscumque fuerit societas; l. 22. §. 1. l. 63. ff. Pro socio. (Concordat leg. 15. tit. 10. & l. tit. 15. p. 5. Vid. lit. R pag. 108. in add. nov. hisp. col. 1.) Nec obstat leg. 16. ff. de re judic. quæ corruptam esse docet non in Comment. ad digem. tit. cit. Pro socio: In rationibus reddendis multum fidei, & juramentum ejus, qui administravit, relinquunt, ubi de majori quantitate non est sermo. Confer Leyser specul. 284. num. 9. ubi multa citat, quæ ad id tendunt.

Alterum est, quod non aliter socius ex contractu

alterius acquirat, & obligatur, quam si nomine societatis tamquam institutor, & secundum normam prescriptam seu voluntatem sociorum contraxit, l. 4. §. 1. ff. de exercit. ad. si in communem arcam pecunia vertatur sint, l. 8. ff. Pro socio. Alias si socius proprio nomine contraxit, reliquis jus agendi contra Tertium non nascitur, nec reliqui obligantur; l. 13. C. Si cert. petat. Ad Lauterbach. de obligat. socior. que oritur ex conventionem cum extraneo inita.

51 Tertium idem est, quod contractus trinus fuit approbatus à Rota in Lucana Pecuniaria. 21. Januarii 1744. §. 13. coram Eminenti. Bussio, ibi: "Quum nemin hujusmodi par solutio, & immissio pecuniarum in negotium; si contractus in dicta civitate usitatus, & nuncupetur depositum mercantiae continens, trinum contractum, nempe societatis, securitatis, ex quo honestum, & limitatum lucrum retrahi valet &c. utique fructus exacti à canonico in dicta quantitate scutorum 577. 12. reputandi amplius non erunt illicitæ usuræ provenientes ex credito meræ pecuniario, sed legitimæ obventiones conventæ in dicto novo contractu, innovativo procedentis crediti fructiferi, quæ justo titulo exigi poterant absque ullo onere, & obligatione restitutionis."

52 Quinimo tradit supremum tribunal in mox allegata decisione quando intrus dicitur quærit trinus hic contractus, ut ex §. 4. & plur. seq.

SOCIETAS INTER FRATRES.

SUMMARIUM.

Fratres defunctis parentibus possunt inire inter se contractam societatem.

1 Per hoc tamen, quod fratres habeant hereditatem, seu patrimonium indivisum, & de communi mensa vivunt, non censetur strictam, & rigorosam societatem omnium bonorum iniri.

2 Hinc frater habens hereditatem, & patrimonium indivisum cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare ipsi lucrum à se acquisitum ex publico alicujus officii administratione.

3 Item non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hereditaria communi pecunia, dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni, & indivisioni fraternæ.

4 Intelligit tamen dummodo talis frater non fuerit Tutor, aut Curator aliorum fratrum.

5 Lucrum autem acquisitum per negotiationem nomine communi factam, est aliis communicandum.

6 Fratres viventes ex communi mensa post obitum patris, inita societate non repetenti, quæ contulerunt cum ad communem victum.

7 Posset autem frater, qui plus contulit, illud repetere si non fuit prius inita societate.

8 Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, amantæ, aut furiosi.

9 Frater, qui inita societate dotavit de propriis bonis sororem, potest ab aliis fratribus compensationem repetere.

10 Frater non habens expressam societatem omnium bonorum cum aliis fratribus, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione eam dotem in suam partem computare.

11 Secus autem si habuerit dictam expressam societatem omnium bonorum.

12 Frater habens pre aliis filiis laborantes in utilitatem communionis fraternæ, si non inierit cum aliis dictam expressam societatem omnium bonorum, potest exigere compensationem proportionatam dictis laboribus. Et sic frater non habens filios potest exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alienis fuit consumptum, nisi tamen aliter sit conven-

tum, aut aliud ferat legitima consuetudo.

14 Secus autem si dicti fratres inierint inter se expressam societatem omnium bonorum.

15 Frater habens uxorem lucra acquirantem ex aliqua peculiari arte, aut professione, si ipsa uxor tenens lucrum reparatum, aut conjectari possit, quod soluerit societatem contrahere, non tenetur in divisione alii fratribus communicare, & compensatio nullatenus defectu uxoris in aliis operibus domesticis propter exercitium talis artis, aut professionis.

16 Sic à fortiori non tenetur frater communicare lucra acquisita ex bonis paraphernalibus sua uxoris, si ipsa uxor sit sibi expresse reservata talia lucra, non licet conjectari possit, quod soluerit communicare.

17 Secus autem si ipsa uxor, & suus vir cum ejusdem fratribus iniierint expressam societatem omnium bonorum.

18 Ratione enim hujusmodi rigorosæ societatis communicari debent quæcumque ex qualibet causa acquisita.

19 Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius.

20 Art. debet adverti, quod non intelligitur contra hæc rigorosæ societatis, nisi frater, seu socii specialiter, aut expresse voluntarie convenerint, quod sit omnium quorumcumque bonorum societas.

21 Nec dicit potest societas omnium bonorum illa, quæ vocatur societas simpliciter, & comprehendit sola lucra ex questu.

22 Pro questu intelligitur id, quod ex opere, artificio, industria, vel cura, & diligentia cujusque provenit.

23 Unde ratione societatis simpliciter contractæ non communicatur hereditas, legatum, vel id, quod est donatum.

24 Tenetur autem frater ratione societatis simpliciter contractæ communicare thesaurum inventum, sive in suo communi fundo, sive in alieno.

25 Socius vero non frater, sed extraneus ratione talis societatis tenetur communicare aliis sociis solum thesaurum repertum in fundo alieno, & non repertum in suo.

26 Semper autem esset communicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis, talis ubicunque reperitur thesaurus, si inter ipsos fuisse in ita rigorosæ societatis omnium bonorum.

27 Debitum contractum ab uno fratrum post obitum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem utilitatem.

28 Secus autem si conversum fuerit in solum privatum commodum contrahentis.

29 In contentione in qua utrum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit; qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet solvere de proprio.

30 Et mortuo fratre, qui debitum contraxit, onus probandi fuisse tale debitum conversum in communem utilitatem spectat ad Creditorem.

31 Delictum, seu malefictum unius fratris socii omnium bonorum non nocet aliis fratribus.

32 Præscindendo à societate fratres in divisione hereditatis paternæ, & maternæ offerre debent ad partitionem communem, quæ ab ipsis viventibus acceptaverunt: dummodo ipsi expresse, vel tacite per conjecturas non presumentur donata, seu condonata.

33 Primo igitur debet frater adducere, & computare in suam partem pecuniam, quam pater consumpsit pro studiis ipsius, si pater apud se habebat ipsius filii bona castrensia, aut quasi castrensia. Secus autem si non habebat.

34 Secundo debet frater adducere libros, quos pater vivens ipsi tradidit pro studio, si sint considerabiles quantitatis, & valoris; Secus autem si tales libri essent modice quantitatis, & pauci valoris.

35 Et sic est dicendum de pecunia ei tradita à patre pro emendis libris; quam si in magna quantitate insumpsit in ludos, aut meretrices, tenetur computare in suam partem; Secus autem si in modica quantitate.

36 In omni tamén casu, quo libri adducendi sint, & computandi, computari debent secundum solum valorem præsentem tempore divisionis.

37 Tertio debet frater adducere, quæ de bonis communibus post mortem patris insumpsit in prosecutione studii incepti ante mortem patris.

38 Quarto debet frater adducere expensas factas in assequenda post mortem patris laurea Doctoratus.

39 Non sunt autem computandæ expensæ factæ ab ipometre patre pro obtinendo doctoratu, dignitate, vel beneficio filio, nisi aliter constet tacite, vel expresse de sua voluntate.

40 Sunt tamen computandæ expensæ factæ à patre pro obtinendis filio aliis officiis, quæ vendi, & transmitti possunt ad heredem, & posteros.

41 Quinto conferre debet frater secundum valorem præsentem vestes, torques, & alia ornamenta à patre tradita ipsius uxori, si adhuc extent, & sint pretiosa, & non sint necessaria ad quotidianum usum.

42 Secus autem si non amplius extent, nec sint pretiosa, & sint necessaria ad quotidianum usum.

43 Nec tenetur ea conferre, quomvis sint pretiosa, quoties constat patrem ea nurui donasse.

44 Sexto conferre debet frater munera, & alias sponsalitates donationes à patre factas propter suas nuptias.

45 Filius volens succedere patri, licet non tenetur conferre, quæ ab ipso valide accepit donatione simpliciter facta ex mera liberalitate, tenetur tamen conferre, quæ ab ipso acceptæ donatione, non ex mera liberalitate, sed ob causam &c.

46 Non sunt tamen computandæ in divisione expensæ factæ à patre occasione convivi nuptialis, celebrationis primi Sacri, ingressus, & professionis Religiosæ, vel promotionis ad doctoratum, aut ad aliquam dignitatem, etiamsi filius habeat bona propria.

47 Nec tenetur frater computare, quæ pater illi dedit præ aliis ad cibum, vestitum, & equitatum.

48 Nec tenetur conferre, quæ à patre vivente accepit ob merita extraordinariorum obsequiorum, dummodo accepta non excedant merita.

49 Septimo conferre debet frater quæ pater insumpsit in ipsius liberatione à captivitate, à carcere, aut à pena ipsi pro delicto debita, si pater declaraverit esse computandæ in divisione; Si autem declaraverit non esse computandæ, aut non expresserit an vellet computari, non sunt computandæ.

50 Otioso conferre debet bona profectitia.

51 Non tamen bona castrensia, aut quasi castrensia.

52 Nec bona adventitia.

53 Non conferre debet frater quæ accepit à patre titulo patrimonii ad Sacros Ordines, vel ad nuptias contrahendas.

54 Non tenetur tamen conferre, si velit succedere patri in hereditate.

55 Decimo conferre debet frater expensas factas à patre ad ejus bona adventitia augenda ad perpetuum utilitatem notabilem, si constet quod pater ea fecerit animo repetendi. Et quid si dicitur de tali animo.

56 Sic è contra si pater nobiliter dilapidaverit bona adventitia unius filii, tenentur alii in divisione compensare.

Additiones, num 57.

Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se strictam, & rigorosam contractam societatis, ita ut omnia lucra, & damna fiant communia. Communis contractus enim ex conventionem legem accipere dignoscitur, textu expresso in c. Contractus 85. de Regul. juris in 6. & in l. Contractus 23. ff. de Regul. juris, ibi: Nam hoc servabitur, quod initio convenit, legem enim contractus dedit. (Vid. in omni specie contractus.)

Per hoc tamen quod fratres habentes hereditatem, seu patrimonium indivisum, & de communi mensa vivant, non censentur talem strictam, & rigorosam societatem inilisse, l. Cum duobus 52. §. 6. ff. Pro socio, l. Ex parte 39. §. 3. ff. Familia Eriscunda, cum simili-

bus, Bartolus in l. Si patruus 4. Cod. Communia utriusque Judicii, Azorius p. 3. lib. 9. cap. 59. Filiuccius tract. 28. cap. 7. quest. 6. num. 145. Silvester verb. Peculium 2. quest. 4. Bonacin. de contractibus disp. 3. q. 6. punct. 7. n. 2. Rosignol. de societate contr. 7. prenot. 27. num. 1. & alii passim: Et ratio est, quæ ad contrahendam strictam, & rigorosam societatem, quæ omnia lucra, & damna communia fiant, requiruntur verba, aut signa aperte indicantia talem contractum societatis, cum de natura talis strictæ, & rigorosæ societatis requiratur, quod sit conventio duorum, vel plurium aliquid pretio æstimabile conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum; l. Societatem 4. l. Societate 5. l. Si societatem 6. ff. Pro socio, & Institut. tit. 26. de societate, adeoque &c. (Vid. proxime tit. 10. part. 5. in prologo seu exordio cum leg. 1. 2. & 3.)

Hinc frater habens hereditatem, seu patrimonium indivisum cum aliis fratribus non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum à se acquisitum ex publico alicujus officii administratione, quia nisi aliter sit expresse conventum, indivisio hereditatis, seu patrimonii, & consequenter societas ex ipsa indivisione proveniens inter fratres se extendit solum ab bona hereditaria, & ad lucra ex illis provenientia: Non vero ad alia bona, & lucra aliunde fratribus obvenientia, uti sunt bona acquisita donatione, hereditate, dignitate, officio, seu industria non debita tali fraternæ societati, seu indivisioni; l. Cum duobus 52. §. 6. ff. Pro socio, l. Cui muneris 12. ff. de muneribus, & honoribus, cum similibus; Azorius cit. cap. 19. quest. 4. Filluc. loc. cit. num. 136. Silvester loc. cit. q. 20. Bonacin. loc. cit. n. 2. Rosignol. loc. cit. num. 4. & alii. (Leg. 3. 6. 7. & 9. tit. 10. ejusd. p. 5. consonant.)

Item frater habens hereditatem indivisam cum aliis fratribus non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hereditaria communi pecunia; dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni, & indivisioni fraternæ, quia tunc esset communicandum aliis fratribus pro parte correspondente operibus debitis tali communioni, & indivisioni fraternæ: l. Qui aliena 8. Cod. Si quis alteri, vel sibi, l. Si patruus 4. Cod. Communia utriusque judicii, l. Titium, & Mævium 47. §. 6. ff. de admistr. Tutor. cum similibus, Bald. in l. Si pecunia 1. Cod. Si quis alteri, vel sibi, Silvester loc. cit. q. 17. & 18. Rosignol. loc. cit. num. 17. & 19. & alii. (Ad rem leg. 48. & 49. tit. 5. cum leg. 7. tit. 10. p. 5.)

Intellige tamen dummodo dictus frater non fuerit Tutor, aut Curator aliorum fratrum, quia tunc lucrum acquisitum per negotiationem cum communi hereditaria pecunia factam, licet nomine proprio, & non communi, est communicandum aliis fratribus; l. Si Tutor vel Curator 3. ff. Quando ex facta Tutoris, vel Curatoris; Silv. l. c. q. 18. Baldus in l. Si pecunia 1. Cod. Si quis alteri, vel sibi, & in l. Si ut proponis 8. Cod. de rei vindicat. & alii. (Vide proxime cum glos. DD. Greg. Lop. etiamque leg. 15. tit. 16. p. 6.)

Lucrum acquisitum ab uno ex fratribus per negotiationem factam cum communi hereditaria pecunia nomine communi, debet etiam communicari aliis fratribus. Communis. Et ratio clara est, quia quod fit de communi & nomine communi, est commune. (Repete lecturam leg. 48. & 49. cum leg. jam citat. 2. & 3. tit. 10. p. 5. Conduct lex 5. tit. 15. p. 6.)

Communis simul pluribus fratribus post obitum patris, si unus de suis bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, aut aliunde de suis aliquid in communem victum impenderit, non potest illud repetere, si inter ipsos fuerit prius inita societates ad communem victum. Baldus in l. Cum duobus 34. ff. Pro socio, Silvester q. 22. Azorius loc. cit. c. 19. vers. Sexto quid dicendum; Rosignol. loc. cit. n. 5. & alii: Et ratio est, quia stante tali societate, non habetur consideratio ad illud plus ab ipso fratre in communi victu impensum, cum societas